

**RECTOR**  
**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,**  
Ad Exequias  
**DOMINÆ**  
**ANNÆ ELISABETHÆ,**  
**natæ JÄGERIÆ,**  
**DN. FRIDERICIBENEDICTI CARPZOVII,**  
Senatoris & Ædilis meritisfimi, Polyhistoris  
celebratissimi Viduæ,  
post Sacra publica pomeridiana  
*hodie XXVI. Decembr. clo 1766 VI. cohonestandas*  
*invitat.*





218482    124141



Nternuncii illi caelestes, nocte Salvatoris natalicia, agminatim delapsi aethere, mirabilibus & vere angelicis contentibus extulerunt: (uti cum pia antiquitate credimus, cui Lucas, celsi exerditum Angelorum tantum ἀνέντων καὶ λεγόντων narrans Cap. II, 13. non adversatur) δύξα ἐν ὕψισις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. David methodum laudandi Deum praescribens Pf. CXLVIII. canit: Laudate Iehouam יְהוָה מְהִלָּה e caelis, laudate eum בְּמַרוֹמֵי *ἐν τοῖς ὑψίστοις* in excelsis; & v. 7. subiungit, laudate Iehouam יְהוָה מִן הָאָרֶץ *ἐκ τῆς γῆς*. Recte Sancti Spiritus primo ad fontem gaudii & salutaris voces suas attollunt, gloriamque dicendam esse DEO in caelis ajunt, e quibus ipsi apparent, & in quibus tanquam domicilio suo proprio semper videntes faciem Patris caelestis, cum innumeris aliis Angelis, & cum Spiritibus iustorum consummatorum gloriam & honorem acclamant, prout fieri, in visione ostensum sibi Iohannes manifestat Apocal. V, 8. 9. 10. 11. 12.

Deinde ad terram se convertunt, cui pacem gratulantur: Pacem in Orbe Romano fuisse, cum Christus nasceretur, Augustinus, Hieronymus, & alii Ecclesiae Patres observarunt, ut haec etiam temporis ratio esset indicio, pupulum hunc in Bethlehemitico quiescentem praesepio, verum esse Pacis Principem, qui suae nobis adduceret nativitatis beneficio Pacem, Esa. IX, 6. Inde Huetius Demonstrat. Evangel. Prop. IX, cap. VIII. arbitratur, utramque pacem Angelicis cantibus celebratam; aeternam ac caelestem his verbis: Gloria in altissimis DEO; terrenam ac temporariam istis: Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Enimvero Pax illa, qua sub Octavii Augusti Caesaris imperio mortales fruebantur, de qua multa disserit Vir ille doctus, tanti non fuit, aut tam diuturna, ut hac Angelorum praedicatione digna habeatur. Sed praecipue Pax caelestis est & aeterna hominum cum DEO, & deinde pax hominum cum hominibus. Postquam enim homo primus, defectione sua ab obaedientia DEI Conditoris sui, ruperat temere amicitiam & pacem, Deus iustus vindex & hostis humani generis factus, poenis tum temporalibus tum aeternis fadifragos persequi & perdere volebat. Verum interveniente Filio, spondenteque, se humana natura assumpta in mundum iturum, & pro hominum delictis & poenis mortem subiturum, Pater consilium Reconciliationis & Pacis accepit. Ad hoc igitur perficiendum Filius DEI in carne venit. Haec est Pax praedicta a Prophetis Jec. IX, 7. 8. Ezech. XXXIV, 24. 25. Mich, V, 5. Christique meritis nobis acquisita Joh. XIV, 27. Coloss. I,

Ioff. I, 20. Eph. II, 14. Hanc Pacem volebat DEUS solenniter annunciarī & offerri omnibus hominibus, ab iisdem accipi in unam Ecclesiam coeuntibus. Nam Judaei populique alii religione, moribus, institutisque disidentes, non solum integri bellis mutuis se laceflebant & atterebant, sed & singuli cives odio, inimicitisque flagrantē, damna sibi invicem inferebant. Hos omnes in unum ovile Christus Pastor adducere debuit juxta promissionem Abrahamo factam, & vatū prædictionem de vocatione Gentium, ut & pacem cum DEO haberent, & pacem inter se ipsi servarent, vid. Zach. IX, 9. 10. Ephes. II, 11. seqq. Gal. III, 28. Rom. III, 29. Act. X, 34. seqq. Hujus inter ipsos Pacis securitatem Esaias Cap. XI, 6. seq. mira eadem, eadem perquam suavi allegoria expressit, prænunciāns tantam fore tranquillitatem, ut animalia quoque illa, quæ naturalis quadam inimicitia, sive ut Physici nominant, *divina Deum*, mutuo alias non patitur vivere, impune converterentur invicem. Unde nati Gregorii Bersmanni versiculi Ecloga quadam:

*Non lupus insidias clauso meditatur ovili;  
 Non vespertinus stabulum circumgemit ursus,  
 Nec securā timent rabidos armenta Leones:  
 Atque impune Leo vitulo, lupus accubat agno.  
 Mirus amor: pardo misceri nec fugit hadus,  
 Cumque ursis ultro veniunt ad pocula vacca.*

Atque hinc tandem Angeli deprædicant benevolentiam DEI erga homines, quam ex nativitate Salvatoris agnoscere ipsi debeant, etiamque studiosissime amplecti. Enim vero cum homines pacem cum DEO deseruerunt, & benevolentia ejus excederunt, etiam civilem pacem singuli cum singulis turbant, atque ita rursum ad feritatem redeunt, per quam unus alteri lupus & ursus evadit. Quod malum non solum intra privatos subsistit, sed & in Politicis diversis subinde grassatur. Quod si ergo contingat Principes ob causas suas bello implicari, Christianos decet mala, quæ ex eo promanant omnia patienter ferre, utpote a DEO immissa propter fractam cum ipso impietate eorum pacem. Ad quam si serio redierint, Pacem quoque Reipublicæ reconciliatus reddet. De utraque Pace, tum Spirituali dum Ecclesia, tum civili, dum Respublica nunc loquitur & gaudet, Nobilissima Fœmina, Domina ANNA ELISABETHA CARPZOVIA, pacis mundialis atque temporaneæ restituta fructus harum regionum incolis exoptans & relinquens, in pace cum DEO, in qua vixit, diem suum obiit. Natalitius ei dies contigit IX. Junii, quo anno supra millesimum sexcentesium quinquagesimo quinto, hic Lipsiæ in lucem prodit. Habuit Patrem Dn. JOH. JACOBUM JÆGERUM, Civem & Mercatorem nominatissimum, Matrem REGINAM BRUMMERIAM: Avum paternum Dn. MELCHIOREM JÆGERUM, civem & Oenopolam Lindaviæ ad Lacum Podamicum, Aviam Barbaram Blundschlingiam; Avum maternum Dn. MICHAELEM BRUMMERUM Seniore, Senatorem Civitatis, Xenodochii ad S. Johannis Curatorem, & Mercatorem inter præcipuos, Aviam MARIAM LESCHIAM. Parentum suorum laudabili cura in pietatis, modestiæ, castitatis ac aliarum virtutum exercitiis adolescit, simulque ad regendam familiam assuefacta est. Quibus dotibus decoram Virginem amavit Dn. FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIVS, Sctor & Aedilis Civitatis, & in erudito orbe Polyhistor, celebratissimus, uxorem petiit, & anno MDCLXXVI. d. XXIV. Octobr. Christiano more sibi addictam obti-

FR 2a 4938 x 342073

V. 5  
18

obtinuit. Cum hoc marito suo in suavi animorum conjunctione, vitæque conjugalis consuetudine jucunda vivens viginti tribus annis, mater facta est FRIDERICI BENEDICTI, JOHANNÆ THERESIÆ, JOHANNÆ CHRISTIANÆ, JOHANNIS FRIDERICI, liberorum in tenera ætate defunctorum, & adhuc superstitum Domina RAHELIS ELISABETHÆ, d. X. Julii, An. c1o 1855. Dn. THEODORO OERTELIO, Mercatori nominatissimo nupta, e qua nepotem, & FRIDERICUM BENEDICTUM exoculata est, nunc Avia suæ funus lacrymis perfundentem, & Domina MARGARETHÆ REGINÆ, die XI. April. An. c1o 1855. Dn. JOHAN. CHRISTIANO LEHMANNO, Medicinæ Doctori, Professori Publ. Extraordinario, & Practico in matrimonium junctæ. Longum esset recensere pluribus, quam vitæ rationem beata Fœmina tenuerit, ut in pietatis Schola, in Templo & Concionibus lubentissime fuerit, imbuque, usû præsertim Sacratissima Coenæ multoties reperito fidem, patientiam, spem, reliquasque Christianæ mentis virtutes egregie solidaverit, quam misericors erga egenos, quam modesta erga quosvis, quam facilis diligensque ad præstandum officia Christiana extiterit. Præ cæteris emicuit patientia in pluribus adversitatibus conspicua. Liberorum immatura fata cum marito simul tulit: mariti dilectissimi obitum an. MDCXCIX. d. XX. Maji luctuosissimum sustinuit: multos difficiles, concatenatosque morbos per duodecim annos superavit. Nam initium agritudines vivente adhuc marito habuerunt, & septem viduitatis annis perduravit, aliquo, non multo tempore quiescentes. Primum insultum fecit affectus hydropicus, qui, insonnes reddens noctes, quietem, qua vires reficerentur, impedivit, habitum cachecticum & dispnoeam reliquit. Accessere tussedo & excretiones, catharhi suffocativi, asthma, calculus & ulcus renum, hæmorrhoides, donec ante hebdomadas duodecim symptomata Aficem indicarent. Non neglexit adhibere remedia a Dn. L. Wachtelio, Physico Civitatis Halberstadiensis, quo se receperat metuens tempestatem belli tunc imminentem, & a Genero dilectissimo præscripta: a quibus melius se habuit. Verum in reversione ad nos, post factam pacem, triduum itineris symptomata pleraque resuscitavit: hinc corpus aqua repletum copiosius intumuit, & calor continuus, vesperti vehementior agrotam afflixit. Natura quidem sibi ipsa opem ferre videbatur per vehementem & cum doloribus conjunctionem aquæ depulsionem in crus sinistrum, per hujus rupturam, per defectiones alvi crebras: cui Medici experientissimi omni studio subveniebant: artamen crisin illam non ut animi, sic & corporis vires sustinere valuerunt. Quæ igitur tam diuturnis morbis monita mortem expectavit semper parata, ac dudum, de exequiis suis, vt eas fieri vellet manu sua scripsit, jam etiam præsentem imperterrita subiiit. Filiabus, Generis, nepoti, cognatis valedixit, divinæ gratiæ omnes precibus commendans. A verbi Divini præcone Dn. L. JOH. GUNTHERO solatia, & Sacram Coenam devote accepit; in oratione permansit, donec die XXIII. Decembris, primo horæ quartæ pomeridiana quadrante, certissima salutis suæ, animam suam, in manus Salvatoris sui, placidissime exspiraret. Fuit in terra inquietudinis & valde hac miseriarum annos LI. menses VI. septimanam unam, dies duos, horas octo. Nunc ingressa est pacem. Spiritus in Templo Æternæ Pacis, in quo non est luctus, non clamor, non dolor, non mors, in choro beatorum hominum & sanctorum Angelorum beneficium nativitaris Salvatoris hominibus exhibitum celebrat concinendo: Gloria in Excelsis DEO, Pax in Terra. Corpus in cubili suo requiescet in pace. Memoria Piæ Fœminæ erit in pace. Quod nostrum est, Cives Academici, id exanime corpus, hodie finitis sacris pomeridianis ad dormitorium suum, frequentanti comitatu deducamus. P. P. die XXVII. Decembr. An. Christ.

c1o 1855.

LIPSIÆ, Typis MULLERIANIS.

# RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,

Ad Exequias

DOMINÆ

ELISABETHÆ,

Æ JÄGERIÆ,

CIBENEDICTI CARPZOVII,

Ædilis meritissimi, Polyhistoris  
celebratissimi Viduæ,

post Sacra publica pomeridiana

*Decembr. clo lccc V I. cohonestandas  
invitat,*

